

mus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus. Sed illud, quod pertinet ad necessitatem sacramentorum non est propter vitandum scandalum immutandum. Ergo videtur, quod non sit de necessitate hujus sacramenti, quod ab Episcopo conferatur.

2. Præterea, sacramentum baptismi videtur majoris efficaciam, quam sacramentum confirmationis, quia per baptismum fit plena remissio peccatorum, et quantum ad culpam et quantum ad pœnam, quod non fit in hoc sacramento. Sed simplex sacerdos potest baptizatos ungere chrismate in vertice. Ergo multo magis potest eos chrismate signare in fronte, quod pertinet ad hoc sacramentum.

3. Præterea, summitas capitis, ubi secundum medicos est locus rationis, scilicet particularis (quæ dicitur virtus cogitativa), est nobilior fronte ubi est locus imaginativæ virtutis. Sed simplex sacerdos potest baptizatos ungere chrismate in vertice. Ergo multo magis potest eos chrismate signare in fronte, quod pertinet ad hoc sacramentum.

Sed contra est, quod Euseb. P. dicit (epist. 3 ad Episc. Tusciæ et Campaniæ, et habetur de Consecr., dist. 5, cap. 4 Manus quoque): Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus; nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab aliis, quam qui eorum locum tenent, unquam perfici potest, aut fieri debet; nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, et vacuum, nec inter Ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta. Est igitur de necessitate hujus sacramenti, quod dicitur sacramentum manus impositionis, quod ab Episcopo tradatur.

Respondeo dicendum, quod in quolibet opere ultima consummatio supremæ arti aut virtuti reservatur, sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam; supremus autem est, ad quem pertinet usus, qui est finis artificiorum; et epistola, quæ a notario scribitur, a domino Papa signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus (secundum illud 1 ad Cor. 3: Dei ædificatio estis); sunt etiam quasi quædam epistola Spiritu Dei scripta, sicut dicitur 2 Cor. 3. Hoc autem confirmationis sacramen-

tum, est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi, ita scilicet (August., lib. Quæst. nov. Test., quæst. 54, et de Trin., lib. 13, cap. 26, tom. 3), quod per baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, et conscribitur, quasi quædam spiritualis epistola; sed per sacramentum confirmationis, quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus Sancti, et quasi epistola conscripta signatur signo crucis. Et ideo collatio hujus sacramenti Episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia; sicut in primitiva Ecclesia, per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur Actor. 8. Unde Urbanus Papa dicit (in epist. ad omnes Christianos, habetur de Consecr., d. 5, c. Omnes fideles): Omnes fideles, per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni christiani inveniantur.

Ad 1 ergo dicendum, quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem. Ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregor. Papa (lib. 3 Epist., epist. 26, in fine), quod simplices sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur.

Ad 2, dicendum, quod sacramentum baptismi est efficacius, quam hoc sacramentum, quantum ad remotionem mali, eo quod est spiritualis regeneratio, quæ est mutatio de non esse, in esse. Hoc autem sacramentum est efficacius ad proficiendum in bono, quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum, et ideo hoc sacramentum digniori ministro committitur.

Ad 3, dicendum, quod sicut Rabanus dicit in libro de Institutione clericorum (lib. 1, c. 30, in princ., refertur de Consecr., d. 5, c. 5), signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per Pontificem vero in fronte, ut in priori unctione significetur super ipsum Spiritus Sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam; in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ, et virtutis venire in hominem declaretur. Non ergo propter digniorem partem, sed propter potiore effectum, hæc unctio Episcopis reservatur.

DISPUTATIO XXXVI,
ET QUINTA HUIUS SACRAMENTI.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

In hac disputatione supponenda sunt omnia, quæ de ministris sacramentorum in genere supra sunt tradita; supponendum deinde est, nullum presbytero inferiorem posse esse ministrum hujus sacramenti, ut ex dicendis a fortiori constabit. Tota ergo controversia versatur inter presbyterum et Episcopum, de quibus breviter dicemus, et de conditionibus ad hoc ministerium requisitis.

SECTIO I.

Utrum solus Episcopus sit ordinarius minister hujus sacramenti.

1. Quilibet Episcopus est sufficiens minister hujus sacramenti, et si alienas confirmet oves, factum tenebit, licet peccet usurpando jurisdictionem. — Addimus in titulo illum terminum, Ordinarius, quem Concil. Trid. in sua definitione addit, ut abstinemus a quæstione de extraordinario ministro ex Summi Pontificis dispensatione, seu delegatione, quam sectione sequenti tractaturi sumus. Supponimus autem id, quod indubitatum est, Episcopum esse sufficientem ministrum hujus sacramenti, ut a fortiori patebit ex omnibus testimoniis afferendis: et ratione constat, quia potestas ad conferendum sacramentum hoc, non est potestas jurisdictionis, sed Ordinis; sed potestas Ordinis est suprema in Episcopo, ut ita possit ille quidquid inferiores possunt ex vi sui Ordinis; ergo, si aliquis est sufficiens minister hujus sacramenti, maxime Episcopus. Unde obiter infero, quemlibet Episcopum, quantum ad necessitatem sacramenti attinet, esse sufficientem ministrum hujus sacramenti, respectu cujuslibet hominis baptizati. Nam licet ex præcepto unusquisque teneatur non confirmare alienas oves, neque usurpare alienam jurisdictionem, tamen quia illa jurisdictio non est de substantia hujus sacramenti, quod, non per modum iudicii, sed per modum ejusdem consecrationis exercetur, ideo licet male faciat, et contra jus alterius, Episcopus, qui alterius subditos confirmat sine ejus licentia, sacramentum tamen factum tenet, et ita quilibet Episcopus est sufficiens

minister; imo addi ulterius potest, certum esse, Episcopum esse necessarium ministrum hujus sacramenti, saltem necessitate præcepti, ut a fortiori constabit ex omnibus dicendis; difficultas ergo est, an sit etiam necessarius ad substantiam sacramenti.

2. Error Wicleph. — De hac re fuit error Wicleph asserentis, quemlibet sacerdotem esse sufficientem ministrum confirmationis, ut colligitur ex Concilio Constantiensi, sess. 8, ubi hic error damnatur inter alios, et est n. 28, ut refert Waldensis, 2 tom. de Sacram., c. 114; et in eundem errore incidit Archanus, lib. 11 de quæst. Armenorum, c. 4; et Duran. in 4, dist. 7, quæst. 3, post longam disputationem, concludit n. 11, rem esse dubiam, licet probabilius sit contrarium, scilicet, solum Episcopum esse ministrum; et fere idem sentit Scotus, quæst. 1; et Cajetanus hic, et Actorum 8, censeat Episcopum esse quidem necessarium ministrum, necessitate præcepti, non autem sacramenti. Refert etiam Ambrosius ad Ephes. 4, Ægyptios olim fuisse in eadem sententia; et Augustin. (unde Waldens. supra refert) in lib. Quæst. novi et veteris Testam., q. 104, hæc verba habet: In Alexandria et per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat presbyter; tamen in emendatioribus exemplaribus non legitur, consignat, sed, consecrat; imo (ut Waldens. notat) Ægyptii non proprie in hoc errabant, sed in eo quod sacramentum confirmationis negabant, solamque ceremoniam unctionem chrismatis, quæ fit in solemnibus baptismis, cognoscebant, et ideo frequenter aiebant, eam non esse propriam Episcopi, sed a presbytero etiam ministrari posse; imo etiam dicere possent, diacono posse interdum concedi, ut constat ex supra dictis de ministro baptismi, et ex Ambrosio, 1 de Sacram., cap. 2. Refert etiam Turrianus in lib. 3 Const. Clemen., cap. 16, ex Nicol. I, ep. ad Hincmarum Rhemensem, Græcos olim Latinos reprehendisse, eo quod prohiberent presbyteris chrismate baptizatorum frontes ungere. Denique Hieron., dialogo contra Luciferianos, dicit, non ad legis necessitatem, sed ad sacerdotii honorem pertinere, quod baptizati deferantur ad Episcopos, ut illis manus imponant. Significat ergo, hoc non esse de necessitate sacramenti, imo nec legis divinæ, sed solum ejusdem ecclesiasticæ consuetudinis. Unde in nonnullis decretis solum dicitur, non licere presbyteris, Spiritum Sanctum dare per manus impositionem, ut videre licet in Concil. Hispalens. II, cap. 7;

Concil. Wormatiensi, c. 8; Concil. Carthag. II, c. 3; et in Innoc. I, epist. 4 ad Decent., cap. 3. Est ergo hæc ad summum necessitas præcepti, non sacramenti.

3. *Solus Episcopus est ordinarius minister confirmationis.* — Dicendum est tamen, solum Episcopum esse ordinarium ministrum confirmationis. Hæc conclusio sub his terminis est jam de fide, nam sub eisdem est definita in Concil. Trid., sess. 7, can. 3 de Confirmat., et eandem satis significaverat Conc. Florent. in decreto Eugenii, et colligitur ex multis aliis decretis, quæ referuntur de Cons., dist. 5, quæ statim annotabimus. Ratio a priori sumenda est ex Christi voluntate et institutione, quæ per Ecclesiæ traditionem et definitionem nobis est sufficienter proposita; congruentia vero sufficiens est, quam D. Th. hic tradit art. 41. Item, quia Episcopus in Ecclesia est veluti dux in exercitu, ad quem spectat milites recipere et consignare. Item quia ad indicandum perfectum finem hujus sacramenti conveniens fuit, ut a principibus Ecclesiæ traderetur.

4. Dico secundo, Episcopum non tantum esse ordinarium ministrum necessarium ex necessitate præcepti, sed etiam necessitate sacramenti, ita ut, si sacerdos simplex propria auctoritate illud tentet conficere, nihil efficiat. Conclusio est eodem modo certa, quæ probari solet ex Act. 8 et 19, ubi soli Apostoli videntur confirmasse fideles, qui ab aliis fuerant baptizati, quod non potuit oriri ex speciali necessitate alicujus præcepti positivi, quia nullum constat tunc latum fuisse ab Apostolis, nec sine fundamento gratis fingendum est. Ergo ortum fuit ex ipsamet institutione, nam si id non fuisset existimatum necessarium, non fuissent specialiter missi Apostoli in Samariam ad confirmandos baptizatos. Nec refert, si quis dicat, illam manus impositionem non fuisse verum aut proprium sacramentum confirmationis, tum quia ostensum est, esse probabile, etiam quoad signum externum fuisse verum confirmationis sacramentum; tum etiam quia, quicquid sit de signo externo, quoad effectum et usum, certum est habuisse vicem hujus sacramenti. Unde potius sumitur a fortiori argumentum; nam necesse est usu chrismatis aliquid forte tunc sit dispensatum, non tamen in ministro, seu conditione et dignitate requisita in persona illius.

5. Sed dicit aliquis, ex his locis non posse colligi, solos Apostolos tunc confirmasse fide-

les, quia illi soli erant Episcopi; quia etiam illi soli erant sacerdotes, unde potuit hoc ministerium illis specialiter reservari, non ut Episcopis, sed ut presbyteris; imo multi probabiliter existimant, in primitiva Ecclesia nullos fuisse simplices sacerdotes, præter Episcopos, quod potest colligi ex Act. 20, ubi prius dicitur Paulus mittens Ephesum vocasse presbyteros Ecclesiæ; ad quos postea loquens, inquit: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*; de quo testimonio et de hac sententia videri potest Hieron., dial. contra Lucifer., et super cap. 4, ad Titum, et in epistola ad Rusticum, et epist. 85 ad Evagrium, et refertur in cap. Legimus, 93 dist., et cap. Olim, cap. Ecce, dist. 56. Item Augustinus, lib. Quæst. novi et veteris Testam., quæst. 401, ubi hanc responsionem significat, dicens, illo facto declaratum esse, quantum inter diaconum et sacerdotem distet, quia quod Philippus diaconus dare non potuit Spiritum Sanctum, missi sunt Apostoli, qui illum darent; significat ergo missos esse ut sacerdotes, non ut Episcopos.

6. Sed, quidquid sit de hac sententia, nunc ut certum supponimus, dignitatem et potestatem Episcopi et sacerdotis jure divino esse distinctas, sive olim fuerint semper conjunctæ, sive non, ut sumitur ex Trident., sess. 23, cap. 4, can. 6 et 7, Concil. Trident. Quod ergo eo tempore, quo soli Apostoli confirmabant fideles, nulli alii fuerint sacerdotes, nullo firmo fundamento affirmari potest, quanquam etiam sit ignotum, an tunc essent aliqui sacerdotes ordinati. Deinde traditio et communis sensus et usus Ecclesiæ declaravit, Apostolos, non ut presbyteros tantum, sed ut Episcopos fuisse missos ad fideles confirmandos. Unde secundo principaliter probanda est conclusio auctoritate et definitione Ecclesiæ; nam in primis Concilia Florentinum et Tridentinum cum docent, solum Episcopum esse ordinarium ministrum hujus sacramenti, sane loquuntur de ministro simpliciter necessario ad substantiam sacramenti, sicut de cæteris sacramentis loqui solemus, et de hoc loquuntur Scholastici omnes; sed præcipue urget Concilium Trident., sess. 23, cap. 4, ubi inter alias functiones proprias Episcoporum, quarum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent, ponit hanc, scilicet sacramentum confirmationis conferre. Unde can. 7, anathema dicit in eum, qui dixerit potestatem confir-

mandi esse Episcopis cum presbyteris communem; ergo in solis Episcopis est hæc potestas; ergo sunt ministri necessarii de necessitate sacramenti, quam consecutionem apertis verbis confirmat Eusebius Papa, epist. 3, dicens: *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus*; et infra: *Nam, si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, et vacuum, nec inter ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta.* Et Melchisedes P. de hoc loquens sacramento: *A majoribus, inquit, fit, id est, a Summis Pontificibus, et a minoribus perfici non potest.* Unde infert majori veneratione celebrandum esse hoc sacramentum, quam baptismum; et eodem fere modo scribunt Clement. Pap., Damasus, Innocent., Leo, et alii superius citati ad confirmandam hujus sacramenti veritatem; et idem colligitur ex cap. Quanto, extra, de Consuetudine, et ex aliis, quæ referuntur in decretis de Consecr., dist. 5.

7. *Nullus presbyter ex vi suæ ordinationis est sufficiens minister hujus sacramenti.* — Et confirmatur, nam si presbyteri ex vi suæ ordinationis haberent sufficientem potestatem ordinis ad hoc sacramentum ministrandum, sine causa in universum prohiberentur illud conferre, dicerenturque, si hoc sacramentum dare tentent, excedere modum suum, et quæ Episcopalis fastigii sunt propria, usurpare, ut loquitur Gelasius P., epist. 4, cap. 8. Denique hoc sentiunt omnes antiqui Patres, qui solis Episcopis tribuunt munus consignandi baptizatos in fronte, ut colligitur ex Clement., lib. 3 Constit., cap. 16, et epist. 4, et Dionys., cap. 2 de Eccles. Hierar.; August., 45 de Trinit., cap. 26, et lib. Quæst. novi Testam., quæst. 42; Isidor., lib. 7 Etymolog., cap. 42; et Cyprian., epist. 73 ad Jubaian.; Epiph., hæres. 24, in princ.; Chrysost., homil. 48, in Acta; Beda, in cap. 8 Actor. Rationes et congruentiæ sunt eædem, quæ præcedentis conclusionis; est enim veluti proprium Episcoporum munus inferiores perficere, seu perfectos christianos constituere; perficiuntur autem hoc sacramento, quod propterea manus impositio Episcoporum appellatur a Melch. P., et ab Urban. I, in cap. Omnes fideles, de Consecr., dist. 5. Ex quibus satis constat, decreta supra citata, quæ dicunt, non licere presbyteris hoc sacramentum ministrare, intelligenda esse non solum ecclesiastico jure, sed etiam divino, quia scilicet, carent potestate et consecratione necessaria ad hoc minis-

terium. Hieronym. autem, illo dialog. contra Luciferian. (quem imitari videtur Auctor illius quæst. 401 novi et veteris Testament.) ideo videtur contrarium sentire, quia non satis distinguit inter simplicem sacerdotem et Episcopum, quoad dignitatem et ordinis potestatem, ut latius in materia de sacramento Ordinis tractandum est. Colligitur deinde, conclusionem hanc intelligendam esse universaliter de omni presbytero cujuscumque dignitatis sit, sive sit Abbas, sive alius quilibet. Hoc probant omnia adducta, et de Abbatibus id annotavit Concil. Senonense, et de Chorepiscopis idem notat Leo Papa, et alii Pontifices supra citati; erant enim illi, quoad ordinationem seu consecrationem, tantum presbyteri, regulariter loquendo, ut ex dictis Patribus sumitur, et suo loco latius dicitur.

8. *Objectiones.* — Sed adhuc objici solet illud 4 ad Timoth. 4: *Noli contemnere gratiam, quæ est in te per impositionem manus presbyteri*; et Actor. 9, Ananias imposuit manus Paulo, ut impleretur Spiritu Sancto, cum tamen non esset Episcopus. Secundo et difficilius ex Concil. Toletan. I, cap. 20, ubi dicitur: *Statutum est diaconum non chrismare, sed presbyterum, absente Episcopo, præsentem vero non, nisi ab ipso fuerit præceptum.* Unde in Concil. Arausic. I, can. 2, dicitur: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderint, si desit Episcopus, a presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placet.* Et Innocent. I, epist. 4, cap. 6, idem plane docet de energumenis, scilicet, si non possint ad Episcopum referri, posse Episcopum auctoritatem dare presbytero ad consignandos illos, seu ad imponendas eis manus. Et in c. Omni tempore, de Consecr., dist. 4, dicitur: *Presbyter præsentem Episcopo non signet infantes, nisi forte ab Episcopo fuerit illi præceptum*; quod etiam habetur in c. Presbyter, dist. 95, quæ jura supponunt, presbyterum habere potestatem ordinis, alias neque absente Episcopo, neque eo præsentem ex præcepto ejus quicquam posset efficere. Tertio potest objici Ambros., 3 de Sacram., cap. 5, dicens, spirituale signaculum et septiformem Spiritum Sanctum dari ad invocationem sacerdotis. Unde Ignatius, epist. 13, inter munera sacerdotis ponit manus impositionem.

9. *Respondetur objectionibus.* — Ad testimonia Scripturæ facilis est responsio, nam in priori non est legendum *presbyteri*, sed *presbyterii*, unde illa particula non designat mi-

nistrum, sed modum seu speciem illius manus impositionis, quæ non fuit sacramentum confirmationis, sed Ordinis. In posteriori vero testimonio non est etiam sermo de confirmatione, sed de manus impositione curativa seu sanativa, ut patet, primum, quia Scriptura non dicit, Ananiam imposuisse manus Paulo ad dandum ei Spiritum Sanctum, sed ait in hunc modum: *Abiit Ananias, et introivit in domum et imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, et implearis Spiritu Sancto, et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit et surgens baptizatus est.* Non ergo dicit Scriptura, Paulum fuisse per illam manus impositionem Spiritu Sancto impletum, sed visum recuperasse; fuit ergo illa manus impositio pertinens potius ad gratiam gratis datam sanitatis, juxta illud Marci ult.: *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Deinde hujus etiam signum est, quia illa manus impositio facta est ante baptismum; confirmatio autem fit post baptismum. Quod si quis dicat, hoc esse verum ex lege ordinaria, tamen jussu divino potuisse Paulum confirmari, antequam baptismum reciperet, sicut in aliis factum legimus Act. 40, in Centurionis domo, respondetur primum, dispensationem hanc et inversionem ordinis sacramentorum, cum sit præter legem ordinariam, asserendam non esse sine majori fundamento; deinde, qua ratione aliquis dixerit, Paulum fuisse ab Anania confirmatum, prius quam baptizatum, speciali jussu Dei, qui ordinariam legem non abstulit, sed in ea dispensavit, eadem ratione dicere poterit, Paulum confirmatum fuisse ab Anania, quamvis non esset Episcopus, singulari etiam jussu Dei dispensantis in hac lege de ordinario ministro hujus sacramenti. Ad tandem, hætenus non esse probabile, nec probari forte posse, Ananiam illum nondum fuisse in Episcopum consecratum.

40. Ad Concil. Toletan. dicendum est, ibi non esse sermonem de unctione chrismatis in frontibus, sed de caeremoniali unctione, quæ in vertice fit in baptismo solemnem, nam, ut ibidem dicitur, et confirmat optime Leo Pap., epist. 86, alias 88, et Damas. P., in epist. 4, olim nihil presbytero agere licebat absque licentia Episcopi, et ideo mirum non est, quod etiam hæc caeremonialis unctio ei fuerit interdicta, nisi ex licentia Episcopi, vel in ejus absentia. Unde etiam Damas., in vita Sylvestri refert, Sylvestrum constituisse, ut

presbyter baptizatum liniat chrismate propter occasionem transitus mortis. Quod referens Hugo Victor., lib. 2 de Sacramentis, p. 6, cap. 3, dicit: *Primis temporibus omnis unctio chrismatis per solos Pontifices fiebat; sed postquam institutum est, ut baptizatum sacerdos in vertice liniat, consignatio tamen frontis solis Pontificibus reservatur.* Quod sumpsit ex Innocent. I, epist. 4, cap. 3, ubi dicit illam actionem caeremonialem licere presbyteris, sive extra Episcopum, sive præsentem Episcopo baptizent. In quo videtur ampliari decretum Toletan. Concilii, quanquam quod dicit, *præsentem Episcopo*, intelligi recte potest de licentia ejus. Unde ad Decret. Concil. Arausic. dicendum est, non posse intelligi de hoc sacramento; alioquin non fuisset limitandum ad solos hæreticos, sed majori ratione extendendum ad omnes fideles in mortis discrimine, quando non adest Episcopus, qui eos confirmet; ideo ergo Concilium illud de hæreticis specialiter loquitur, quia non agit de sacramento confirmationis, sed de reconciliatione solemnem, qua olim ad Ecclesiæ gremium recipiebantur hæretici, qui ab hæresi convertebantur, in qua inter alias caeremonias in aliquibus regionibus seu provinciis adhiberi solebat quædam unctio, seu consignatio chrismatis, ut ex hoc loco colligitur, et ex aliis, quæ infra, sect. 3, afferemus; et ad eundem modum posset intelligi decretum Innocentii primi, quanquam in eo nulla fiat mentio chrismatis, neque unctionis, sed tantum consignationis et manus impositionis, quæ sine dubio non erat sacramentum confirmationis. Hoc enim nunquam applicatum fuit energumenis seu correptis a dæmone in remedium, de quo ibi est sermo; indicatur ergo eo loco aliqua caeremonia, quæ olim fuit in usu, qua soli Episcopi utebantur ad expellendos dæmones; presbyteri autem et inferiores clerici solum ex licentia Episcopi. Denique caput illud, *Omni tempore, et caput Presbyter* (quæ distincta non sunt, nec sumpta ex Martino I cum Concilio Romano, ut Soto putavit, sed unum et idem sumptum ex Canonibus collectis a Martino Brachar. Episc., can. 52), recte idem Soto respondet, illa non esse intelligenda de sacramento confirmationis, sed de caeremoniali unctione in vertice, quæ olim etiam erat prohibita presbyteris, præsentem antistitem, ut ostensum est, præsertim ex Leone Papa, epist. 86.

41. Ad Ambrosium et Ignatium. — Ad Ambrosium et Ignatium facilis est responsio: Ignatius enim aperte loquitur de Episcopo,

sic enim ait: *Nihil sine Episcopis facito, sacerdotes enim sunt.* Unde fortasse loquitur juxta antiquam consuetudinem supra tactam, quam et refert Ambrosius ad Ephes. 4, scilicet, quod omnes sacerdotes consecrabantur etiam Episcopi, quamvis non omnes Episcopalem jurisdictionem haberent. Ambrosius autem, quasi per antonomasiam, Episcopum sacerdotem vocat; est enim revera sacerdos, et sacerdotum princeps; nec Ambrosius ait, Spiritum Sanctum dari ad invocationem cujuslibet sacerdotis, sed simpliciter ac indefinite ad invocationem sacerdotis, scilicet, principalis ac præcipui, qualis est Episcopus.

SECTIO II.

Utrum ex commissione, vel dispensatione Pontificis possit simplex sacerdos hoc sacramentum ministrare.

4. Ratio difficultatis colligitur ex dictis præcedente sectione, nam, ut Concil. Florent. dixit, sacramenta novæ legis tribus perficiuntur, materia, forma et ministro, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum; sunt ergo hæc tria de substantia sacramenti, et immutabilia ex divina institutione; non ergo potest Summus Pontifex aliquid in his immutare; ostensum est autem, solum Episcopum esse ministrum hujus sacramenti ex Christi institutione; ergo non potest alteri hoc ministerium committi ex humana dispositione. Et confirmatur secundo, nam hæc ratio non potest Pontifex in materia vel forma hujus sacramenti dispensare; ergo neque in ministro. Tertio declaratur in hunc modum, quia vel collatio hujus sacramenti est actus essentialiter pendens a characterem Episcopali, vel non; si non, nulla est ratio, cur dicamus, hoc ministerium esse proprium Episcopi ex ordinario jure divino; si autem id affirmetur, non poterit ille actus committi ei, qui non habet characterem Episcopalem, quia non potest actio esse absque principio, a quo essentialiter pendet; hæc enim ratione consecrare corpus Christi committi non potest ei, qui non habet characterem sacerdotalem, neque ordinatio presbyteri ei, qui non habet characterem Episcopalem; alias posset etiam hoc ministerium committi non sacerdoti, quia character sacerdotalis nihil ad hoc confert per se et vi sua; alioqui etiam sine concessionem vel dispensationem Pontificis conferret.

2. Prima opinio negat. — Propter hæc

argumenta nonnulli graves auctores negant, ministerium hoc posse ulla ratione committi sacerdoti simplici: Adrianus in 4, in materia de Confirm., art. 3; Durand., dist. 7, quæst. 3 et 4, ubi idem insinuat Bonav. circa litteram Magistri; Scotus vero, quæst. 4, dubius est, et obscure loquitur; tenet etiam Castro, lib. de Hæres., verb. Confirmatio; et inclinatur Petrus Soto, lect. 2 de Confirmat.; Cajetan. vero et alii citati sect. præc. favent huic sententiæ, quatenus putant, rationes factas convincere, vel Episcopum non esse necessarium ministrum necessitate sacramenti, sed tantum præcepti, seclusa Pontificis dispensatione, vel, si Episcopus est priori modo necessarius, non posse alium loco ejus substitui, etiam Pontificia auctoritate.

3. Secunda sententia affirmat. — Secunda sententia extreme contraria esse potest, vel ex parte recipientis, vel ex parte dantis hanc facultatem. Ex parte recipientis, quod non solum sacerdoti, verum etiam diacono, vel inferioribus clericis, possit committi hujus sacramenti collatio. Pro hac sententia citari solet Glossa in cap. Quanto, extra, de Consuetudine, sed ibi solum loquitur de simplici sacerdote. Unde falso ei hæc opinio tribuitur a Sylvestro, verbo Confirmatio divina, quæst. 4, qui in eadem sententiam refert Panorm. ibi dicentem, hoc munus posse committi cuicumque clerico, dummodo confirmatus sit, quod etiam tenet Summa Angel., verbo Consecratio sacrament., et refert pro hac sententia Innocent. Glossa vero in cap. Manus, de Consecr., dist. 5, videtur hanc opinionem extendere etiam ad laicos, dummodo confirmati sint; statuit enim generalem regulam, ex facultate Pontificis, quemlibet elevari posse ad illud sacramentum ministrandum, quod accepit. Quæ tamen regula plus est quam falsa, et errorum plena, nullaque ratione vel auctoritate fundatur, nam præter hoc, quod per se satis absurdum est, scilicet, quod laicus confirmatus possit esse minister confirmationis, sequitur posse simplici sacerdoti committi, ut sacerdotes ordinet, et diacono, ut ordinet diaconos, quod tamen est inauditum in Ecclesia. Ratio autem est clara, quia minister non confert sacramentum ratione similis sacramenti suscepti, sed ratione potestatis ad illud ministerium concessæ, quæ tamen non conceditur per sacramentum simile, sed per sacramentum Ordinis, vel Episcopalem consecrationem, in qua sola datur potestas ad generandum sibi